

Jerem. 22. 22.

vi faciam eam (ascendere faciam) & restitui in loco isto (x). Pronum est igitur, ut Psalmum ascensuum decantatum credamus à Judæis è captivitate regredientibus; congruunt enim quæ voces, quæ phrasium analogia, quæ eventuum designatio.

Validius aliud argumentum ex eo deducitur, quod eâ semel interpretatione admittâ, prona sunt in quindecim illis Psalmis omnia. Porro in eo argumenti genere si tandem systema aliquod statuatur, quo posito tota Textus interpretatio prona & naturalis fiat, ipsumque verò systema historice maximè congruat, nihilque habeat sine temporum sive locorum, sive personarum circumstantiis repugnans; illud sine controversia probatur. Plus aliquid in rem nostram additur; non enim eo semel systemate constituto, prona fluunt omnia; sed vix aliter exponi possunt plurimum Psalmorum loca, nisi miserè detortis sententiæ verbis, siquidem aliò quàm ad captivitatem Babylonicam distrahantur. Lege e.g. illud Psalmi 119. 1. *Ad Dominum cum tribulaver clamavi, & exaudivit me...* Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar (Hebraicè Melech & Cedar): multum incolata fuit anima mea. Et Psal. 120. 1. *Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit Calum & terram.* Et Psal. 122. 1. &c. *Latus sum in his, qua dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in atris iuis Jerusalem! Jerusalem qua edificatur ut civitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini. Illic sederunt sedes in Judicio, sedes super domum David.* Et Psal. 122. 1. *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Calis.* Et vers. 3. *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec miseretur nostri. Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quia multum repleti sumus despectione, quia multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus [divitiis] & despectio superbis. Superborum nomine Babylonicos designari non semel observavimus (y).*

y Ps. 118. 21. 51. 66. 78. 122.

In Psalmo 123, fatentur Hebræi futurum fuisse, ut ab hominibus vivi deglutirentur & aquâ absorberentur, nisi speciali Domini protectione defensi fuissent. Respexisse Deum profitentur in Psalmo 124, ad eam, quam in ipso reposuerant, omnem fiduciam; id scilicet committendo, ne diutius subijci virgæ peccatorum cogerebantur. Tandem in Psalmo 105, apertius etiam produnt: *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudium os nostrum, & lingua nostra exultatione. Cum tamen non omnes è Babylonia redissent, addunt: Convertite Domine captivitatem nostram, sicut torrens in austro. Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent (ibant in captivitate lugentes, redibunt exultantes).* De restitutione Templi post captivitatem, tolerantique Samaritanorum persecutionibus hæc legas in Psal. 126. *Nisi Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt qui edificaverunt eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Describunt deinde in eodem Psalmo & sequenti felicem timentium Deum statum, florentem eorum posteritatem, læta conubia, prosperum laborum suorum & expeditionum eventum, novaque constitutas in Jerosolyma sedes & politiam.

Sermone deinde ad populum è captivitate receptum converso, hæc habet Psalmus 128. *Sæpe expugnaverunt me à juventute meâ, dicat nunc Israel. Sæpe expugnaverunt me à juventute mea, etenim non poterunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam. Dominus justus concidet cervicem peccatorum.* Quibus postremis verbis excidium Babylonicum, ac Babylonicorum sub Cyro servituti insinuat. In Ps. 129, Israel veluti de carcere vel ab ipso sepulchro clamans ad Deum, crimen suum confitetur, à quo tandem sperare se dicit futurum, ut redimat Israel ex omnibus iniquitatibus ejus; ex omnibus nempe malis, quæ criminum merito in se induxit. Eadem confessio proximè sequenti Psalmo continuatur, & venia speratur à Deo, cujus oculi ad humiles animos demittuntur.

Israelite in captivitate Deum rogant in Psal. 131, ut promissionem, quibus fidem suam Davidi obstrinxerat, memor, de Templo scilicet in æternum permansuro, ac de Regno in familia Davidis in perpetuum asserendo, id tandem committat, ut Templum dejectum restitueretur, ac thronum Davidis prostratum releveretur. Potest etiam non incongrue idem Psalmus haberi tanquam oratio Hebræorum è captivitate Babylonica reducum, & tanquam cæmen in dedicatione secundi Templi decantatum; quemadmodum etiam apud de duobus proximè sequentibus Psalmis suspicari. In Ps. 132, pulchra Sacerdotum, & Levitarum in Templo Domini concordia spectatur; & in Ps. 133, postremo è Gradualibus, populus Levitas hortatur ad agendas in laudibus Domini noctes, openque Divinam super Israel implorendam. Hæc summa Gradualium. Aperti in illis planè exprimuntur characteres, qui reditui è captivitate Babylonica congruunt, nihilque continent huic systemati repugnans. Quare scriptos illos habente jam, & solutâ etiam captivitate non nisi probabilissimè suspicari. Describit in illis Psalmista, juxta ac Theodoretus observat, mala omnia, quæ tolerari in exilio contigit, tum & gaudium de recepto libertatis nuncio, latoque ad propria regressu, Templi restitutione, & quæ in eo moliendo ab Adversariis illata sunt mala.

Vix autem, & ne vix quidem, certus omnium horum Carminum Vates designaretur; an etiam omnia ad unum, eundemque Scriptorem pertineant, ambiguum. Qui Davidis opus credunt, scripta ad Authorem propheticum spiritum sibi persuadent; quippe qui vices omnes Israelitarum tum in captivitate Babylonica, cum & reditum ipsorum ad propria divinitus revelata

z Vide S. Chrysost. & Theodor. a Origen. de Princip. l. 3.

lata prospexerit (z). Veterum nonnulli Salomoni tribuerunt (a); facile quòd Psalmus 127, in nonnullis Exemplaribus ejusdem Regis nomine inscribitur. Malunt alii partim Davidi, partim Salomoni, partim autem vindicare Authoribus Sacris, captivitate posterioribus, ut Esdræ, Aggeæ, Zachariæ, Malachiæ. Psa. 122. & 124. & 131. & 133. Davidis nomen in Hebræo præferunt, sicut & 127. Salomonis. Quod autem suspicionem in titulos illos creat, illud est, nimirum neque in Septuaginta, neque in Vulgata legi; unde non levis ansa suspicandi datur, recentius in Exemplaria Hebræa inscriptiones illas irrepsisse.

Quicumque tandem Author lucubrationes illas scripserit, post solutam captivitatem Babylonicam vitam produxisse constat. Neque enim oracula fundit, at sensus doloris, tædii, gaudii, actionis gratiarum, populi captivi, in libertatem restituti, libertatem sperantis, sive de recepta fecum plaudentis, exprimit. Nec tamen minus Spiritu Sancto afflante scribit, quàm si præterita, sive futura nunciaret.

Stilo sunt eleganti, jucundo, florentique; brevibusque conceptus suos omnes, maximè patheticos, sed luculenter exprimit Author. Simili artificio, atque elegantia lucubrationes hæc suas scripsit, quæ solent epigrammata; brevibus enim ingen-

tem aliquem sensum complectitur. Plurimi semper facta sunt Cantica illa ab Ecclesia, cujus in Officio tum frequenter leguntur, cum etiam in capite potissimum ejusdem Officii nocturni pluribus anni diebus recitanda præscripsit. S. Benedictus inter vetustissimos Scriptores, qui certam Psalmorum per anni circulum decantandorum regulam statuerit, novem priores Psalmos Graduales distribuit in Horas, Tertiam, Sextam, & Nonam totâ hebdomadâ recitandas, exceptâ tantum Dominicâ, & feriâ secundâ, quibus diebus Psalmus 118: in varias partes distributus totum Horarium Officium tenet [b].

Patres, qui intra sensus spiritualis fines sese continuere (c), quindecim illos Psalmos perinde habent, ac totidem gradus, quibus ad virtutem, æternitatemque deducimur. Præclara in illis ad mores formandos documenta, eximii religiosæ animæ conceptus, atque ad omnem vitam statum accommodata exempla. Sive enim pondere molis corporeæ oppressa ingemiscat anima, sive ad superna adspiret, sive de acceptis à Deo beneficiis grati animi sensus exprimat, sive promovendæ gloriæ Domini, & decoris Domus Dei ardeat amore, quibus vota hæc sua omnia expleat, abundè eorum Psalmorum penus sufficit.

b S. Bened. Regul. c. 18. c August. Hieron. Hilar. Vide & Chrysost.

SERIES CHRONOLOGICA PSALMORUM.

1180 1180 1180

Psalmi nullo temporis charactere distincti.

Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum.* Totus Psalterii veluti præfationem insinuat. Authorem habuisse creditur vel Davidem, vel Esdram, quem Psalmorum Collectorem autumant.

Ps. 5. *Verba mea auribus percipe.* Pix animæ in medio corrupti sæculi suspicia. Preces vespertinæ.

Ps. 8. *Domine Dominus noster.* Hominis decora, Jesu Christi gloria.

Ps. 18. *Calis enarrant gloriam Dei.* Divinæ Legis elogium. Laudes Creatoris ex inspectis rebus creatis, Cælis, & Astris.

Ps. 80. *Exultate Deo adjutori nostro.* Psalmus iste olim cantabatur in Templo in Festo Buccinarum, anni ineuntis, & Tabernaculorum. Asaph Authori tribuitur.

Ps. 90. *Qui habitas in adjutorio Altissimi.* Morale hoc carmen scripserunt Filii Moysis, felicitatem illorum prosequentes, qui spem suam omnem in Domino collocassent. Certum ejus tempus definiti potest sive post, sive in ipsa captivitate.

Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Ad-

ventus, Regnum, Sacerdotium, Generatio Messæ. Scriptus à David.

Ps. 138. *Domine probasti me, & cognovisti me.* Moralis instructio de providentia & sapientia Dei.

Ps. 144. *Exaltabo te Deus meus Rex.* Canticum laudis & gratiarum actionis pro beneficiis simul omnibus à Deo collatis.

Psalmi à Davide scripti in ipsa Saulis persecutione.

Ps. 10. *In Domino confido &c.* Cum in ipsa Saulis aula adhuc moraretur David, sollicitatus ab amicis ut promptâ secessione salutis suæ consuleret, totam spem suam in Domino reponere se proficitur.

Ps. 30. *In te Domine speravi, non confundar in æternum.* David proscriptus ex aula Regis secedere cogitur.

Ps. 33. *Benedicam Dominum in omni tempore.* David in aula Achis agnitus, stultitiam simulans, liberatur.

Ps. 55. *Miserere mei Deus, quia conculcavit me homo.* David ex aula Achis aufugiens,

giens, in speluncam Odollam sese recipit.
 Pf. 15. *Conserua me Domine, quoniam speravi in te.* Insequens Saulem David declinaturus, ad Moabitas, & Philistæos divertit.
 Pf. 13. *Deus in nomine tuo saluum me fac.* Saul fugienti Davidi in deserto Ziph imminens, ad repellenda Philistæorum arma pedem vertere cogitur. Actio gratiarum Davidis. 1. Reg. 23. &c.
 Pf. 51. *Quid gloriaris in malitia.* Ita David cantabat, de Urbis Nobæ direptione & excidio Sacerdotum certior factus. 1. Reg. 22. 1. &c.
 Pf. 108. *Deus laudem meam ne taceris.* Invehitur David in Doeg, cæterosque aduersarios.
 Pf. 16. *Exaudi Domine iustitiam meam.* Preces Davidis, cum maxime persecutionis Saulis ætus ferueret.
 Pf. 21. *Deus Deus meus respice in me.* Premente Saule David, ipsam in se exprimit imaginem Jesu Christi Judæorum furore neci traditi.
 Pf. 34. *Judica Domine nocentes me.* In eadem persecutione.
 Pf. 56. *Miserere mei Deus miserere mei &c.* David in spelunca Engaddi delitescens. 1. Reg. 24.
 Pf. 57. *Si verè utique iustitiam loquimini.* Continuatio præcedentis. In malos Saulis consiliarios querelæ.
 Pf. 141. *Voce meâ ad Dominum clamavi, voce meâ ad Dominum &c.* David in spelunca Engaddi. 1. Reg. 24.
 Pf. 139. *Eripe me Domine ab homine malo.* Davidiis urgentibus persecutionibus, Dei opem implorat.
 Pf. 140. *Domine clamavi ad te, exaudi me &c.* Continuatio præcedentis.
 Pf. 7. *Domine Deus meus in te speravi.* Cum David infestissimum haberet aduersarium Saulem.
Psalmi post initum à Davide Regnum, & post Saulis obitum.
 Psalms. 2. *Quare fremuerunt gentes &c.* David fremens aduersariis, Regni sui sedem Ierosolymis constituit. De Regno Jesu Christi oraculum.
 Pf. 9. *Constebor tibi Domine in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua &c.* Cum David solemniter pompâ Arcam è domo Obededom in Sion transferret.
 Pf. 23. *Domini est terra & plenitudo ejus.* Eadem occasione.
 Pf. 67. *Exurgat Deus & dissipentur inimici ejus.* Cum Arca è Cariath-jarim Ierosolymam deduceretur.
 Pf. 100. *Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.* Exponit David quantum sibi in Regni administratione æquitas & iustitia curæ essent.
 Pf. 28. *Afferte Domino filii Dei &c.* Actio gratiarum Davidis pro imbre tunc dilapso, cum ille ultionem è stirpe Saul pro Gabao-nitis ab eodem Rege injuriâ affectis exegisset. 2. Reg. 21. 1. &c.
 Pf. 119. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis.* David ad expeditionem profecturus in duos foederatos populos, Ammonitas scilicet & Syros. 2. Reg. 10. 16.
 Pf. 20. *Domine in virtute tua latabitur Rex.* Gratiarum actio pro victoria de Ammonitis. Continuatio præcedentis.
 Pf. 37. *Domine ne in furore tuo arguas me . . . quoniam sagitta.* Cum David ægro-taret, & post crimen eum Bethsabæe. De hoc morbo nihil in historia Regum; sed ab omnibus fermè Interpretibus admit-titur.
 Pf. 38. *Dixi: Custodiam vias meas &c.* Continuatio præcedentis. Psalmus ab Idithum cantandus.
 Pf. 39. *Expectans expectavi Dominum.* Gratiarum actio pro recepta valetudine.
 Pf. 40. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Continuatio præcedentis.
 Pf. 6. *Domine ne in furore tuo . . . Mi-serere mei Domine, quoniam infirmus sum.* David post commissum cum Bethsabæe cri-men ægrotans.
 Pf. 50. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Hunc Psalmum scripsit David, postquam de commisso à se crimine à Nathano acrioribus verbis castigatus fuit. 2. Reg. 12.
 Pf. 31. *Beati quorum remissa sunt iniquitates.* Eiusdem temporis, & argumenti.
 Pf. 32. *Exultate iusti in Domino.* Con-tinuatio præcedentis.

Psalmi in defectione Absalom.

Psalm. 3. *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me?* David ex Urbe Me-tropoli ab Absalomo pulsus.
 Pf. 4. *Cum invocarem &c.* Eiusdem tem-poris, & argumenti.
 Pf. 54. *Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam.* David ve-nientem Ierosolymam Absalomum fugiens.
 Pf. 61. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* Furente Absalomo, David sese ad patientiam hortatur. Psalmus nomine Idithum inscriptus.
 Pf. 69. *Deus in adiutorium meum intende.* Oratio David cum ab Absalomo ur-geretur. Præfatio est succedentis Psalmi.
 Pf. 70. *In te Domine speravi, non confundar in aeternum.* Continuatio præce-dentis.
 Pf. 142. *Domine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam.* Pre-memente bello Absalom.
 Pf. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad &c.* Actio gratia-rum pro victoria de Absalomo, Seba fi-lio Bochri, aliisque perduellibus.
Psalmi post defectionem Absalomæ adusque captivitatem Babyloniam.
 Psalms. 67. *Diligam te Domine fortitudo mea.* Solemnis gratiarum actio Davidi pro omnibus à Deo receptis beneficiis. 2. Reg. 22.

Pf. 29. *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me.* In dedicatione Aræ Ornani. 2. Reg. 24. 25.
 Pf. 71. *Deus iudicium tuum Regi da.* Cum de filio suo Salomone ad Regnum evecto David secum ipse gratularetur.
 Pf. 44. *Eruisti cor meum verbum bonum.* Psalmus filiorum Core in pompa nuptiarum Salomonis.
 Pf. 77. *Attendite popule meus Legem meam.* Chorus Asaph epinicum canit victoriæ ab Asa de Rege Israel relatæ. 2. Par. 14. 4. 6.
 Pf. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum.* Ad Iudices sub Josaphat Rege Juda ad-monitio.
 Pf. 82. *Deus quis similis erit tibi?* Epini-cium pro victoriis Josaphat Regis Juda de Ammonitis, Idumæis, aliisque. 2. Par. 20. 1. &c. Psalmus Asaph.
 Pf. 75. *Notus in Iudæa Deus.* Scriptus vel saltem canendus à classe Asaph, post de-letum exercitum Sennacheribi.
 Pf. 73. *Ut quid Deus repulisti in sinem?* Gemit Asaph Templi Ierosolymitani deso-lationem ab armis Nabuchodonosoris. Ipsâ faciliè premente captivitate scriptus est.
 Pf. 78. *Deus venerunt gentes &c.* Eju-sdem argumenti.
Psalmi premente captivitate scripti.
 Psalms. 22. vel 10. 1. juxta Hebræos. *Ut quid Domine recessisti longè?* Gemitus captivorum.
 Pf. 11. *Salvum me fac Deus, quoniam defecit sanctus.* Scriptus à Judæis in capti-vitate, qui Babyloniorum impietatem sub oculos exhibent. Confer hunc Psalmum cum Pf. 13.
 Pf. 12. *Utsquequo Domine oblivisceris me in suum.* Profecquitur captivorum querelas.
 Pf. 13. *Dixit insipiens in corde suo.* Vota captivorum. Scelera Babyloniorum.
 Pf. 32. *Dixit insipiens in corde suo &c.* Scelera Babyloniorum veluti sub oculos exhibentur. Idem est ac præcedens 13.
 Pf. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* Quid ab illis exigatur, quibus & reditus è captivitate & ingressus in Tem-plum concedendus est.
 Pf. 24. *Ad te Domine levavi animam meam.* Oratio captivorum pro libertate im-petrandâ.
 Pf. 25. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia &c.* Continuatio præce-dentis.
 Pf. 26. *Dominus illuminatio mea, & salus mea.* Fiducia Captivorum.
 Pf. 27. *Ad te Domine clamabo.* Vota & actiones gratiarum in captivitate.
 Pf. 35. *Dixit insipiens ut delinquat in se-metipso.* Querelæ captivorum de Baby-loniis.
 Pf. 36. *Noli amulari in malignantibus.* Canticum solaminis pro captivis.
 Pf. 41. *Quemadmodum desiderat cervus.* Canticum filiorum Core in captivitate.
 Pf. 42. *Judica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta.* Eiusdem arg-umenti.
 Dissert. Calmet. Tom. I.

Pf. 43. *Deus auribus nostris audivimus.* Eiusdem argumenti continuatio.
 Pf. 48. *Audite hac omnes gentes.* Filiorum Core. Solamen captivorum.
 Pf. 49. *Deus Deorum Dominus loquutus est.* Deus captivum populum suum iudicat; docens insuper veram cultûs Divini ratio-nem. Psalmus Asaph, vel potiùs alicujus ex ejus posteris.
 Pf. 59. *Deus repulisti nos & destruxisti nos.* Captivi Judæi promptâ libertatis spe sibi blandiuntur.
 Pf. 63. *Exaudi Deus orationem meam cum deprecor.* Captivi duros dominos Babylo-nios experti lugent.
 Pf. 68. *Salvum me fac, Deus, quoniam intraverunt aquæ.* Levitarum eâ de re que-relæ.
 Pf. 72. *Quam bonus Israel Deus.* Asaph fratres suos consolatur, optimis simul in-stitutionibus muniens adversus prava ma-lorum exempla, & ne quid scandali pati-antur impiorum felicitatem spectantes. Vide Pf. 36.
 Pf. 74. *Constebimus tibi Deus.* Asaph po-puli libertatem efflagitat.
 Pf. 76. *Voce meâ ad Dominum clamavi.* Asaph de captivitatis prolixitate conquiritur. Inscribitur etiam Psalmus nomine Idithum.
 Pf. 79. *Qui Regis Israel, intende.* Asaph, ut suum populum visitet, à Deo postulat, & de captivitate educat.
 Pf. 83. *Quam dilecta tabernacula tua.* Vota Filiorum Core pro captivitatis re-ditu.
 Pf. 85. *Inclina Domine aurem tuam.* Idem.
 Pf. 87. *Domine Deus salutis mee.* Idem.
 Pf. 88. *Misericordias Domini.* Ethan Efrai-tes Deum rogat pro libertate populi in ser-vitute positi.
 Pf. 89. *Domine refugium factus es nobis.* Levitæ è posteris Moysis reditum è capti-vitate flagitant.
 Pf. 91. *Bonum est confiteri Domino.* Idem.
 Pf. 92. *Dominus regnavit, decorem indutus est.* Idem.
 Pf. 93. *Deus ultionum Dominus.* Idem.
 Pf. 94. *Venite exultemus &c.* Idem.
 Pf. 118. *Beati immaculati.* Oratio Danie-lis vel alterius Prophetæ ad populi insti-tutionem.
 Pf. 119. *Ad Dominum cum tribularer.* Ca-ptivi liberationem petunt.
 Pf. 120. *Levavi oculos meos.* Idem.
 Pf. 122. *Ad te levavi oculos meos.* Idem.
 Pf. 129. *De profundis clamavi.* Idem.
 Pf. 130. *Domine, non est exultatum cor meum.* Captivi Judæorum proceres pro reditu orant.
 Pf. 131. *Memento, Domine, David.* Ora-tio Judæorum captivorum pro familia David.
Psalmi post Edictum Cyri pro re-ditu è captivitate.
 Psalms. 121. *Letatus sum in his.* Canticum le-uiticæ Judæorum captivorum audita li-bertate per Cyrum concessâ.
 H h Pf. 69.